prius manus frigidum tenebat. Sic etenim uerba sunt
sacri eloquii. quae quidem per narrationem litterae frigida te
nent. Sed si quis haec aspirante domino. intento intellectu pul
sauerit. de mysticis eorum sensibus ignem producit. ut in eis uer
bis post animus spiritaliter ardeat. quae prius per litteram
ipse quoque frigidus audiebat. Ecce enim propheta dicit.
Et extra portam interiorem gazofilacia cantorum in atrio
interiori. quod erat in latere portae respicientis ad aqui
lonem. et facies eorum contra uiam australem. ex latere
portae orientalis. quae respiciebat ad uiam aquilonis. In his
itaque uerbis litterae ad amorem dei cuius animus inferuescat.
quin potius quis non ex ipsa eorum locutione tepescat.
Si autem latens in littera spiritalis medulla discutitur. per hoc
scintillae intellectus exeunt et incendunt. quod prius cordis
auribus frigidum sonabat. non tamen. ut se aspirante domino
interior intellectus aperiat. ipsa prius narratio iuxta lit
teram pateficat. Ait enim. Quia porta erat interior. atque
extra hanc atrium quod appellat interius. ac deinde aliae.
id est aquilonis. austri. atque orientis portae describuntur. ut ip
sum quod esse extra portam interiorem dixerat. a portis exterio
ribus esse interius ostendat. Atrium ergo et foris et intus est. foris
quia extra portam interiorem. intus autem quia intra por
tas exteriores. Gazofilacia quoque cantorum esse in hoc eodem
atrio narrantur. quae a latere portae posita dicuntur respi
cientis ad aquilonem. Sed ipsa eadem gazofilacia ad australem
uiam respiciunt. Et subditur. ex latere portae orientalis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0377